

## CREDITOREM EVICTIONEM NON DEBERE.

### 8.46.1

*Imp. Alexander A. Publicio.*

Cum iure creditoris propter fisci debita praedium obligatum procurator meus vendidit, evictio non debetur, quia et privatus creditor eodem iure utitur, nisi nominatim hoc repromissum a privato fuerit.

¶ Si tamen fiscus in ius alterius creditoris successit, emptori non iusta fisci nomine movetur controversia,, sive quia potior fuerat, quando vendebat, sive quia infirmior, quoniam hoc utique praestare debet, qui pignoris iure vendat, potiorem se ceteris esse creditoribus.

*PP. XV k. Nov. Maximo II et Aeliano consss.*

[a. 223]

### 8.46.2

*Imp. Gordianus A. Sabino.*

Si a creditrice iure pignoris fundos pater tuus comparaverit, evictis praediis ita demum petitionem adversus creditricem habere iure potes, si, cum vendiderit, de evictione rei promisit vel etiam dolo malo, cum sciret prudensque esset rem sine vitio non esse, eam patri tuo, cui successisti, venumdedit. Nam sicut genus eiusmodi contractus inscium creditorem vinculo evictionis non adstringit, ita eum, qui fraudem admisit, vel decept, non excusat.

*PP. VIII id. April. Sabino II et Venusto consss.*

[a. 240]